

1.9.6

*Imppp. Valentinianus Theodosius et Arcadius AAA. Cynegio pp.*

Ne quis Christianam mulierem in matrimonium Iudaeus accipiat neque Iudaeae Christianus coniugium sortiatur, nam si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterii vicem commissi huius crimen obtinebit, libertate in accusandum publicis quoque vocibus relaxata.

*D. prid. id. Mart. Thessalonica Theodosio A. II et Cynegio cons.*

[a. 388]

1.9.7

*Idem AAA. Infantio comiti Orientis.*

Nemo Iudaeorum morem suum in coniunctionibus retinebit nec iuxta legem suam nuptias sortiatur nec in diversa sub uno tempore coniugia conveniat.

*D. III k. Ian. Constantinopoli Theodosio A. III et Abundantio cons.*

[a. 393]

1.9.8

*Imppp. Gratianus Valentinianus et Theodosius AAA. Eutychiano pp.*

Iudaei Romano communi iure viventes in his causis, quae tam ad superstitionem eorum quam ad forum et leges ac iura pertinent, adeant sollempni more iudicia omnesque Romanis legibus conferant et excipiant actiones.

1 ¶ Si qui vero ex his communi pactione ad similitudinem arbitrorum apud Iudaeos in civili dumtaxat negotio putaverint litigandum, sortiri eorum iudicium iure publico non vetentur.

2 ¶ Eorum etiam sententias iudices exsequantur, tamquam ex sententia cognitoris arbitri fuerint attributi.

*D. III non. Febr. Constantinopoli Honorio A. IIII et Eutychiano cons.*

[a. 398]

1.9.9

*Impp. Arcadius et Honorius AA. ad Iudaeos.*

Nemo exterus religionis Iudaeorum Iudaeis pretia statuet, cum venalia proponentur. iustum est enim sua cuique committere, itaque rectores provinciarum vobis nullum discussorem aut moderatorem esse concedent, quod si quis sumere sibi curam praeter vos proceresque vestros audeat, eum velut aliena appetentem supplicio coercere festinent.

*D. III k. Mart. Constantinopoli Arcadio IIII et Honorio III AA. cons.*

[a. 396]